

*sacerdos in aeternum*, etc. Et inde est quod omnis sanctificatio qua sit per sacerdotium ejus, est perpetua, re consecrata manente. Quod patet etiam in rebus inanimatis: nam ecclesie vel altaris semper manet conservatio, nisi destruantur. Cum ergo anima sit subiecta characteris secundum intellectivam partem, in qua est fides, manifestum est quod sicut intellectus est perpetuus et incorruptibilis, ita character indelebiliter manet in anima. » — Haec ille.

Ad confirmationem dicitur quod similitudo non valet; quia nec materia nec forma sacramenti est incorruptibilis, sicut anima; nec virtus datur sacramentis ad hoc ad quod character anime, ut ex praecedentibus satis patet; et ideo virtus sacramentorum transit, character manet.

Ad septimum dicitur quod, secundum ultima dicta beati Thomae (2), circumcisio nullo modo effective causabat gratiam, sed solum erat causa *sine qua non*. Secus de sacramentis novae legis. Et ideo non oportebat quod aliquam dispositionem actualem aut habitualem imprimeret anime, sed solum corpori. De hoc sanctus Thomas, 3 p., q. 70, art. 4, ut sepe recitatum fit (6), sic dicit: « Apostolus dicit, *Romanor. 4* (v. 11), quod *Abraham accepit signum circumcisionis, signaculum justitiae fidei*, quia scilicet justitia ex fide erat significata, non ex circumcisione significante. Et quia baptismus operatur in virtute passionis (7) Christi, ideo baptismus imprimet characterem incorporantem hominem Christo, et copiosiorem gratiam quam circumcisio, etc. » De hoc plura dicuntur sunt, dist. 1. Eamdem sententiam expressius ponit, 3 p., q. 63, art. 4, in solutione tertii, ubi dicit: « Sacraenta veteris legis non habebant in se spiritualem virtutem ad operandum aliquem spirituale effectum. Et ideo in illis sacramentis non requirebatur aliquis spiritualis character; sed sufficiebat ibi corporalis circumcisionis, quam Apostolus *signaculum nominat*, *Romanor. 4* (v. 11). » — Haec ille.

Ad argumentum in oppositum questionis, respondeat sanctus Thomas, presenti distinctione, q. 1, art. 4, in solutione primi, dicens: « Character, inquit, non est habitus, nec passio, sed potentia quedam consequens animam, secundum quod est in vita spirituali regenerata; et ideo non oportet quod omnibus insit, vel quod a natura insit. » — Haec ille.

Et haec de questione sufficient. De qua benedictus Deus. Amen.

(2) In *Somma theologica*, q. 70, art. 4, ubi emendat quae dixerat, 4. *Sentent.*, dist. 4, q. 2, art. 4, q<sup>ta</sup> 3.

(6) Cfr. praesertim, dist. 1, q. 2, concl. 2.

(7) *passionis*. — *panis* Pr.

## DISTINCTIO V. ET VI.

### QUESTIO I.

UTRUM PARVULI INFIDELIUM SINT INVITIS PARENTIBUS BAPTIZANDI

 **Q**UINTA quintam et sextam distinctiones 4. *Sententiarum*, queritur: Utrum parvuli infidelium sint invitisi parentibus baptizandi.

Et arguitur quod sic. Nam magis debet homini subveniri contra periculum mortis aeternae, quam contra periculum mortis temporalis. Sed puer in periculo mortis temporalis existentis, est subveniendum, etiam si parentes per malitiam contraniterentur. Ergo multo magis est subveniendum puero infidelium contra periculum mortis aeternae, etiam invitisi parentibus.

In oppositum arguitur. Quia in *Decretis*, dist. 45 (can. 5), ex Concilio Toletano, sic dicitur: « *De Iudeis praecepit sancta synodus, nemini deinceps ad credendum vim inferre. Non enim tales inviti salvandi sunt, sed volentes, ut integra sit forma justitiae*. »

In hac questione sunt tres articuli. In primo ponentur conclusiones. In secundo, objectiones. In tertio, solutiones.

### ARTICULUS I.

#### PONUNTUR CONCLUSIONES.

Quantum ad primum articulum, sit

**Prima conclusio:** Quod pueri infideli filii, nondum habentes usum rationis, non sunt baptizandi, invitisi parentibus.

Hanc conclusionem ponit sanctus Thomas, 3 p., q. 68, art. 10, ubi sic dicit: « Pueri infideli filii, aut habent usum rationis, aut non habent. Si habent, jam, quantum ad ea que sunt juris divini vel naturalis, incipiunt sue potestatis esse; et ideo, propria voluntate, invitisi parentibus, possunt baptismum suscipere, sicut et matrimonium contraherentur. Et ideo tales licite possunt moneri et induci ad baptismum suscipiendum. Si vero nondum habent usum liberi arbitrii, secundum jus naturale sunt sub cura parentum, quamdiu sibi ipsis providere non possunt. Unde etiam de pueris antiquorum dicitur quod salvabantur in fide parentum. Et ideo contra justitiam

naturalem esset, si tales pueri invitis parentibus baptizarentur; sicut etiam si aliquis habens usum rationis baptizaretur invitus. Esset etiam periculum taliter filios infideliū baptizare: quia de facili ad infidelitatem redirent, propter naturalem affectum ad parentes. Et ideo non habet hoc Ecclesia consuetudo, quod filii infideliū invitis parentibus baptizentur. » — Hae ille.

Eaudem conclusionem ponit, 2<sup>a</sup> 2<sup>o</sup>, q. 10, art. 12, ubi sic dicit: « Maximam, inquit, auctoritatem habet Ecclesia consuetudo, que semper est in omnibus annulanda; quia et ipsa doctrina catholicorum doctorum ab Ecclesia auctoritatem habet. Unde magis standum est auctoritati Ecclesiae quam auctoritati Augustini, vel Hieronymi, vel cuiuscunquam doctoris. Hoc autem usus Ecclesiae nunquam habuit, quod Iudeorum filii invitis parentibus baptizarentur, quamvis fuerint retroactis temporibus multi catholici et potentissimi principes, ut Constantinus, et Theodosius, et alii plures, quibus familiares fuerunt sanctissimi episcopi, ut Sylvester Constantino, et Ambrosius Theodosio, qui nullo modo praetermississent hoc ab eis impetrare, si hoc esset consonum rationi. Et ideo periculosum videtur hanc assertiōnem de novo inducere, ut, praeter consuetudinem hactenus in Ecclesia observatam, Iudeorum filii invitis parentibus baptizentur. Et huius ratio duplex est. Una quidem, propter periculum fidei. Si enim pueri nondum usum rationis habentes, baptismum susciperent, postmodum, cum ad perfectam aetatem venirent, de facili possent a parentibus induci ut relinquerentur quod ignorantes suscepserunt; quod vergeret in fidei detrimentum. Alia vero ratio est, quia repugnat justitiae naturali. Filius enim naturaliter est aliquid patris. Et primo quidem a parentibus non distinguitur secundum corpus, quamdui in matris utero continetur. Postmodum vero, postquam ab utero egreditur, antequam usum liberi arbitrii habeat, continetur sub cura parentum, sicut sub quodam spirituali utero. Quamdui enim usum rationis non habet, puer non differt ab animali irrationali. Unde, sicut bos vel equus est alienus, ut utatur eo cum voluerit, secundum jus civile, sicut proprio instrumento; ita de jure naturali est quod filius, antequam habeat usum rationis, sit sub cura patris. Unde contra justitiam naturalem esset, si puer, antequam habeat usum rationis, a cura parentum subtrahatur, vel de eo aliquid ordinetur invitis parentibus. Postquam autem incipit habere usum liberi arbitrii, jam incipit esse suus, et potest, quantum ad ea que sunt juris divini vel naturalis, sibi ipsi providere; et tunc est inducendus ad fidem, non coactione (z), sed persuasione; et potest, etiam invitis parentibus, consentire fidei et baptizari, non autem antequam habeat usum rationis. Unde do-

pueris antiquorum patrum dicitur quod salvati sunt in fide parentum; per quod datur intelligi quod ad parentes pertinet providere filiis de salute sua, praeceps ante quam habeant usum rationis. » — Hae ille.

Similia verba ponit, 2. *Quodlibet*, art. 7.

Ex quibus potest formari talis ratio pro conclusione: Nihil vergens in periculum fidei et derogationem juris naturalis, induci debet in Ecclesia. Sed baptizare garulos infideliū, invitis parentibus, est hujusmodi. Ergo, etc.

**Secunda conclusio** est quod omnes parvuli baptizati aequalē effectum per se suscipiunt in baptismō, ex ipso baptismō.

Hanc ponit sanctus Thomas, 3 p., q. 69, art. 8, ubi sic dicit: « Duplex est effectus baptismi: unus per se; et aliis per accidens. Per se quidem effectus baptismi est id ad quod baptismus est institutus, scilicet ad generandum homines in spiritualem vitam. Unde, quia omnes pueri aequaliter se habent ad baptismum, quia non in fide propria, sed in fide Ecclesiae baptizantur, omnes aequalē effectum percipiunt in baptismō. Adulti vero, qui per propriam fidem ad baptismum accedunt, non aequaliter se habent ad baptismum: nam quidam cum majori, quidam cum minori devotione ad baptismum accedunt. Et ideo quidam plus, quidam minus, de gratia novitatis accipiunt: sicut etiam ab eodem igne accipit plus calor, qui plus ei appropinquat; licet ignis, quantum est de se, aequaliter ad omnes suum calorem effundat. Effectus autem baptismi per accidens, est ad quem baptismus non est ordinatus, sed divina virtus hoc in baptismō miraculose operatur; sicut super illud: *Romanor. 6* (v. 6), *Ut ultra non serviamus peccato*, dicit Glossa: *Non hoc prestatur in baptismō, nisi forte miraculo ineffabili Creatoris, ut lex peccati quæ est in membris, prorsus extinguitur*. Et talis effectus non aequaliter suscipitur ab omnibus baptizatis, etiam si cum aequali devotione accedunt; sed dispensatur hujusmodi effectus secundum divinæ prævidentie ordinem. » — Hae ille.

Item, quarta distinctione *Quarti*, q. 2, art. 3, in solutione tertiae questionis, sic dicit: « In pueris baptizatis nihil ex parte eorum requiritur; sed habent, quasi pro dispositione ad salutem, fidem Ecclesiae, et, pro effectivo salutis, virtutem passionis Christi, que operatur in baptismō. Et haec duo aequaliter ad omnes pueros se habent. Et ideo non differunt quantum ad effectum baptismi suscipiendum, sed omnes aequalē gratiam suscipiunt. » — Hae ille.

Ex quibus potest formari talis ratio pro conclusione: Passa aequaliter disposita, vel indisposita, ad idem activum aequaliter se habentia, aequalē

(z) coactione. — occasione Pr.

perecipiunt effectum ab eodem activo. Sed parvuli suscipientes baptismum, aequaliter sunt dispositi, vel indispositi, ad recipiendum effectum per se baptismi; et aequaliter se habent ad passionem Christi operantem in sacramentis. Igitur, etc.

**Tertia conclusio** est quod recipiens scienter baptismum a maliis ministris, ab Ecclesia praecisis per haeresim vel schisma vel excommunicationem, extra easum necessitatis, peccat.

Hanc ponit sanctus Thomas, quinta distinctione *Quarti*, q. 2, art. 2, q<sup>a</sup> 5, ubi sic dicit: « Malus minister, aut est ab Ecclesia praecisus, aut non. Si sit praecisus ab Ecclesia, tunc peccat ab eo recipiens sacramentum, nisi necessitate, in qua posset a pagano vel iudeo etiam suscipere. Si autem non sit praecisus ab Ecclesia Dei, non peccat ab eo recipiens sacramentum, nisi per accidens, scilicet si ejus peccato consentiret. » — Hac ille.

Item, 3 p., q. 64, art. 9, in solutione secundie, sic dicit: « Hereticorum quidam in collatione sacramentorum formam Ecclesie non servant; et tales neque sacramentum conferunt, neque rem sacramenti. Quidam vero servant formam Ecclesie; et tales conferunt quidem sacramentum, sed non conferunt rem sacramenti. Et hoc dico, si sunt manifeste praecisi ab Ecclesia: quia ex hoc ipso quod aliquis accipit ab eis sacramenta, peccat; et per hoc impeditur ne effectum sacramentii consequatur. Unde Augustinus dicit, in libro *de Fide ad Petrum* (cap. 36): *Fiermissime tene, et nullatenus dubites, extra Ecclesiam baptizatis, si ad Ecclesiam non redierint, baptismu cumulari perniciem.* Et per hunc modum dicit Leo Papa, in sede *Alexandrina sacramentorum lungen* (2) *esse castinatum, et si quid purgandum erat, passionis falso tolleretur, et si quid purgandum erat, passionis falso tolleretur.* » — Hac ille.

Item, in solutione tertii, sic dicit: « Potestas ministrandi sacramenta pertinet ad spiritualem characterem, qui est indelebilis. Et ideo per hoc quod aliquis ab Ecclesia suspenditur, vel excommunicatur, vel etiam degradatur, non amittit potestatem conferendi sacramentum, sed licentiam utendi hac potestate. Et ideo sacramentum quidem confert,

sed tamen peccat conferendo. Et similiter ille qui ab eo accipit sacramentum. Et sic etiam non percipit rem sacramenti, nisi forte per ignorantiam excusat, etc. » — Hac ille.

Ex quibus potest formari talis ratio pro conclusione: Quicumque scienter, extra easum necessitatis, participat in divinis et in peccato cum exemptione municiatis vel praevisis ab Ecclesia, peccat. Sed recipiens scienter baptismum, extra easum necessitatis, a predictis, est huiusmodi. Igitur, etc.

**Quarta conclusio** est quod malus minister baptizans cum solemnitate, quasi minister Ecclesie, peccat mortaliter, non autem si in easu necessitatis, sine solemnitate, et non ut minister, baptizet.

Hanc ponit sanctus Thomas, quinta distinctione *hujus quarti*, q. 2, art. 2, q<sup>a</sup> 4, ubi sic dicit: « Quietamque in peccato mortali existens exhibet se ministerium Ecclesie in quoquinque spirituali, peccat, secundum querendam opinionem satis probabilem, que per antiquitatem Dionysii confirmatur. Et ideo sacerdos baptizans cum solemnitate, quasi ministerum Ecclesie se exhibens, peccat mortaliter. Si autem simpliciter baptizet in articulo necessitatis, non quasi minister Ecclesie, sed sicut velut baptizare posset, non peccat. » — Hac ille.

Item, 3 p., q. 64, art. 6, sic dicit: « Aliquis in agendo peccat, dum hoc quod operatur, non secundum quod oportet operari, ut patet per Philosophum in 2. *Ethicorum* (cap. 3). Est autem conveniens ut sacramentorum ministri sint justi; quia ministri debent conformari ei cuius sunt ministri, secundum illud *Levitici* 19 (v. 2), *Sancti eritis, quoniam et ego sanctus sum*, et *Ecclesiasticus* 10 (v. 2), *Secundum judicium populi, sic et ministri ejus.* Et ideo non est dubium quin mali, exhibentes se ministros Dei et Ecclesie in dispensatione sacramentorum, peccent. Et quia hoc peccatum pertinet ad irreverentiam Dei, et contaminationem sacramentorum, quantum est ex parte hominis peccatoris, licet sancta secundum seipsa incontaminabilia sint, consequence est quod tale peccatum ex genere suo est mortale. » — Hac ille.

Item, ibidem, in solutione tertii, sic dicit: « Ille qui est in peccato mortali, non est perplexus simpliciter, si ex officio incumbat ei sacramenta dispensare; quia potest penitere de peccato, et licite ministerare. Non est autem inconveniens quod sit perplexus; supposito quodam, scilicet quod velit remainere in peccato. In articulo tamen necessitatis non peccaret baptizando, in easu in quo laicus etiam posset dispensare: sic enim patet quod non exhibet se ministerium Ecclesie, sed subvenit necessitatem patienti. Secus autem est in aliis sacramentis, que non sunt tanta necessitatis. » — Hac ille.

(a) *bonum, — baptismum Pr.*

(b) *datum, — datur Pr.*

Ex quibus potest formari duplex ratio, secundum dupliceum partem conclusionis. Quod enim malus minister baptizans cum solemnitate peccet; arguitur: Quia quicumque existens in peccato mortali exhibit se ministru[m] Dei et Ecclesie, peccat mortaliiter. Sed minister malus malitia peccati mortalis, baptizans cum solemnitate, est hujusmodi. Igitur, etc.

— Pro secundâ parte, scilicet quod talis in casu necessitatis baptizans sine solemnitate, nec ut minister, non peccet; arguitur: Quia opus misericordie licitum laico, licitum est malo ministro. Sed baptizare in casu necessitatis sive solemnitate, est opus misericordie licitum laico. Igitur, etc.

Et in hoc primus articulus terminatur.

## ARTICULUS II.

### PONUNTUR OBJECTIONES

#### § 1. — CONTRA PRIMAM CONCLUSIONEM

**I. Argumenta Scotti.** — Quantum ad secundum articulum, arguitur contra conclusiones. Et quidem contra primam arguit Scottus (dist. 4, q. 9), prebando quod parvuli Judaeorum et aliorum infidelium sint invitis parentibus baptizandi; præsertim quod princeps hoc possit facere, cui in regimine reipublicæ tales sunt subditi.

**Primo.** Quia in parvulo dominus habet maius ius dominii quam parentes. Universaliter enim, in potestatis ordinatis, potestas inferior non obligat in his quae sunt contra superiorē, sicut docet Augustinus; *de Verbis Domini*, homil. 6 (z), et ponitur in ultimo capitulo 2. *Sentent.* (dist. 44): *Si illud jibet potestas quod non debes facere, hic sane contemne potestatem, timendo vel sequendo potestatum (ε) mitijorem.* Et declarat in exemplo de curatore et consule, de consule (γ) et imperatore, et de imperatore et Deo. Igitur ille qui habet regere rem publicam, magis debet cogere unumquemque subdi domino superiori, quam inferiori; immo superiori, contemptu inferiori, quando inferior in tali dominio resistit superiori (z). Sicut ergo (ε) Imperator deberet sententiare aliquem obedire debere (ζ) proconsuli, contemptu precepto curatoris et inferioris, si contradiceret proconsuli; ita etiam, si essent sub eodem diversa ordinata, scilicet si aliquis esset servus Titii, et Titius Petri, magis deberet Imperator

(z) *Serm.* 62. *De verbis Evang.* Matth. 8: *Non sum dignus*, etc.

(ε) *timendo vel sequendo potestatem.* — *tenendo vel sequenda potestate Pr.*

(γ) *de consule.* — *Om. Pr.*

(δ) *a verbis quam inferiori usque ad superiori, om. Pr.*

(ε) *ergo, — si Pr.*

(ζ) *sententiare aliquem obedire debere.* — *alieni mandare obedire debeo Pr.*

cogere servum servire Petro, qui est superior Titio, quam Titio, si Titius vellet uti servo contra dominium Petri. Ergo maxime debet zelare princeps pro servando dominio supremi domini, scilicet Dei; et, per consequens, non solum licet, sed debet princeps auferre parvulos a dominio parentum volentium eos educare contra cultum Dei, qui est supremus et honestissimus dominus, et debet eos applicare cultui divino. Dico ergo breviter, quod, si princeps hoc facheret cum bona cautela, scilicet ne parentes cognoscentes hoc futurum occiderent parvulos, et quod baptizatos facerent religiose educari, bene fieret. Immo, quod plus est, credo religiose fieri, si parentes ipsi cogerentur minis et terroribus ad suscipiendum baptismum, et ad servandum postea susceptum: quia, esto quod ipsi non essent vere fideles in animo, tamen minus malum est eis non posse impune legem suam illicitam observare, quam posse eam libere servare. Item, filii eorum; si bene educarentur, in tertia et quarta progenie essent vere fideles. Et si dicas quod, secundum prophetiam Isaiae (cap. 10, v. 22), quam recitat Paulus, *Romanor.* 9 (v. 27), *reliquiae Israel convertentur in finem*, et ideo Judeos non oportet cogi totaliter ad baptismum suscipiendum, et relinquendum legem suam, — non valet: quia non dubito quin vera sit prophetia Christi, quam recitat Joan. 5 (v. 43), *Ego reni in nomine Patris mei, et non receperistis me, sed alius veniet in nomine suo, illum suscipietis;* ergo, ad minus, ex verbo Antichristi erunt pertinenti, quia adhaerent illi pessimo Antichristo, de quo est sermo Christi predictus. Et si dicas quod, visa destructione Antichristi, illi qui sibi adhaerent convertentur, — dico quod, pro tam paucis, et sic parde convertendis (quod (α) modicus est fructus Ecclesie), et de quibus nulla est propagatio filiorum in lege christiana, non oporteret tot Judæos in tot mundi partibus tantis temporibus sustinere in lege sua perstare; quia finalis fructus Ecclesie de eis erit modicus. Unde sufficeret aliquos paucos, in aliqua insula sequestratos, permitti legem suam servare; de quibus tandem illa prophetia Isaiae completeretur.

Confirmatur quod dictum est de parentibus infidelibus cogendis per minas et terrores. Quia simile commendat Concilium Toletanum (IV, c. 56), de quibusdam Judæis, qui pridem ad Christianitatem coacti sunt, sicut factum est temporibus Sisebuti; in quo approbat eum, tanquam religiosum principem, quia cogebat infideles ad fidem. — Hæc Scottus, in forma,

**II. Argumenta Durandi.** — Contra eamdem conclusionem arguit Durandus (dist. 4, q. 6), ponendo tres conclusiones. Prima est, quod parvuli

(z) *quod.* — *quia Pr.*

infideliū separatorum a dominio et conversatione fidelium, quemadmodum Saraceni subjecti regi Granatæ sunt separati loco et dominio a fidelibus hispanis vicinis eorum, talium, inquam, infideliū filii non sunt eis auferendi, nec ipsis invitatis baptizandi, nisi (z) in casu quo licet fidelibus justum bellum contra eos movere, et bona et personas eorum tollere. Secunda conclusio est, quod, si infideles subsunt dominio fidelium, et cum eis in eadem terra conversantur, tanquam liberi, sicut mercatores quandoque morantur in dominio et terra fidelium, et econtra, tunc non licet eorum filios ipsis invitatis rapere, nec baptismō offerre. Tertia conclusio est, quod, si infideles subsint principi fidei tanquam servi, sicut sunt Judæi, tunc filii talium possunt ipsis invitatis baptizari. Et hanc conclusionem, que proprie est contra nostram conclusionem, probat.

**Primo** (6) sic: Quia, si non, hoc maximè videretur propter rationem tactam in probationē conclusionis, quæ in virtute talis est: Quod, quamvis aliqui possint esse servi aliorum quoad opera civilia, in his tamen quæ eis competunt jure naturali vel divino, non sunt servi, sed liberi: potest enim servus comedere invito domino, et contrahere matrimonium, ut habetur, Extra, *De conjugio servorum*, cap. 1 (hac enim competit eis de jure naturali); et similiter potest invito domino credere in Deum, et hujusmodi, quæ pertinent ad jus divinum. Sed baptizari pertinet ad jus divinum. Ergo, cum cura parvolorum jure naturali et divino quantum ad hoc competit parentibus, manifestum est quod non possunt eis licite auferri ut baptizentur, licet possint eis auferri ut vendantur, sicut et ceteræ res, ad opera servilia (y). Haec autem ratio directe concludit quod Judæi et ceteri infideles adulti, qui sunt servi Christianorū, non possunt nec debent cogi quod baptizentur. Et hoc fuit prius concessum. Sed de pueris eorum parentibus usu rationis, quod non possint licite eis auferri, eis invitatis, et baptizari, non probat. Quia, si auferrentur eis et baptizarentur, non fieret præjudicium pueris, sed potius conferretur eis magnum beneficium; nec parentibus eorum, quia licite possunt eis auferri, et vendi in servitutem fidelibus vel infideilibus, prope vel longe, ut alii concedunt, quo facto, subtrahuntur totaliter a cura parentum, et subsunt in omnibus curæ eorum quibus venditi sunt; propter quod, si ab eis offerantur baptismō, nulli videtur fieri præjudicium; licet, prædictis pueris stantibus sub cura parentum, fieret parentibus (x) injuria, si eis invitatis baptizarentur; nec esset decens nec securum quod pueri baptizati manerent sub cura infideliū. Sed quia,

ut predictum est, pueri servorum infideliū possunt per dominum licite subtrahi a cura parentum, vendendo eos, vel donando aliis, qui ex tunc curam eorum habent, non apparet quin liceat illis quibus sunt venditi, vel donati (z), offerre eos baptismō, sine præjudicio cuiuscumque. Non sic autem licet pueros infideliū liberorum auferre a cura parentum, nec per consequens offerre eos baptismō.

**Secundo** sic ad idem: Res et bona servorum sunt dominorum suorum, in quorum terris habitant, ut habetur, Extra, *de Judiis et Saracenis*, cap. *Etsi Judæos*. Ergo res et bona Iudaorum\* sunt principiū Christianorū. Sed filii sunt quedam res parentum. Ergo filii Iudaorum sunt in potestate principiū, ut res eorum. Possunt ergo eis uti ut placet, offerendo eos ad baptismum.

**Tertio.** Quia princeps Christianus, dominus Iudaorum, potest filios eorum vendere in servitutem terrenam. Ergo, fortiori ratione, potest eos offerre in servitutem divinam; quod sit per baptismum. Immo, videntur in hoc mereri, si hoc faciunt propter salutem parvolorum et honorem Dei, et non ut parentes cogantur ad credendum, quia illud non est licitum.

## § 2. — CONTRA SECUNDAM CONCLUSIONEM

**Argumenta Scoti.** — Contra secundam conclusionem arguit Scotus (dist. 4, q. 7), probando quod parvuli baptizati inæqualiter participant gratiam in baptismō.

**Primo** (6). Quia Deus prædestinavit electos ad diversos gradus gloriae; et hoc ante determinacionem hujus signi ad tantam vel tantam gratiam conferendam. Et quia ordinato ad majorem gloriam rationabiliter potest conferri major (z) gratia, posset Deus, in determinando veritatem seu certitudinem hujus signi, disponere conferre alicui suscipienti præcise (d) illam gratiam quæ requiritur ad certitudinem hujus signi, et alicui majorem gratiam, quem prædestinavit ad majorem gloriam. Sed ille ultimus gradus non confertur virtute baptismi, sed de speciali benevolensia divina; et, propter hoc, dici potest quod ex parte cause principalis, effectus æqualis communiter datur virtute baptismi, quia supponitur de lege communi quod prima gratia non datur major absque omni causa alia preter causam principalem.

**Secondo.** Quia causa meritoria illius gratiae que confertur in baptismō, potest efficacius operari ad gratiam in uno quam in alio: vel quia specialius oblata pro uno, quantum ad intentionem offerentis,

(x) nisi. — nec Pr.

(6) *Primo*. — Om. Pr.

(y) *servilia*. — *civilia* Pr.

(z) *parentibus*. — *præjudicium et Pr.*

(z) *cuiuscumque*. — Ad. Pr.

(6) *Primo*. — Om. Pr.

(y) *et major*. — Ad. Pr.

(d) *suscipienti præcise*. — Om. Pr.

quam pro alio; vel, quantum ad executionem, pro uno oblata in effectu, pro alio non, nisi in prævisione divina. Primo modo Christus communiter ponitur nosse omnia que Deus novit scientia visionis; et, per consequens, novit omnes electos, et ad quem gradum gloriae fuerunt electi. Potuit ergo pro (α) prædestinato ad majorem gloriam plenius offerre passionem suam, et præcipue cum se offert pro genere humano, ut de eis impleretur divina prædestinatio. Secundo modo passio Christi multo efficacius operatur pro nobis, qui sumus in lege evangelica, quam pro patribus in lege Moysi; quia obsequium p̄gestum, ad maius bonum acceptatur quam beneficium p̄viousum. Et isto secundo modo est inæqualitas in suscipientibus gratiam per circumcisioñem, et baptismum, propter inæqualem applicationem causæ meritoriae ad eos; et forte etiam in baptizatis ante passionem, et post. Sed quod in primo modo, scilicet propter specialiorem oblationem (6) in voluntate Christi, sit inæqualitas gratiae in aliquibus baptizatis, est possibile.

Tertio. Quia, licet parvulum comparando ad parvulum, cum nullani habeant propriam motionem, nullam habeant inæqualitatem ad gratiam ex parte sui, potest tamen in parentibus unius esse major motus pro suo parvulo, quam alterius pro suo, vel in aliquib[us] aliis ministrantibus, vel assistentibus baptismo, propter quorum merita Deus uni parvulo potest conferre majorem gratiam quam alteri. Sed hoc non est virtute baptismi, sed meriti. Et hoc modo forte parentes beati Nicolai orationibus suis m̄eruerunt sibi majorem gratiam, quæ erat in eo, etiam parvulo, velut (γ) principium mirabilis effectus, quia duobus diebus in hebdomada, unica lactatione contentus erat tantum. Et, quoad hoc, magis optandum est puerum baptizari a bono sacerdote quam a (ε) mali; quia orationes boni sacerdotis, quas multas facit ante et post baptismum, magis valent et exaudiuntur quam orationes mali. — Hæc Scotus.

### § 3. — CONTRA TERTIAM CONCLUSIONEM

**Argumenta Scoti.** — Contra tertiam conclusionem arguit Scotus (dist. 5, q. 2), probando quod a mali ministro præciso ab Ecclesia Romana tota liter, in casu, licet recipere sacramentum baptismi.

**Primo (ε).** Quia præceptum superioris plus obligat quam præceptum inferioris, Deus autem præcepit baptismum suscipi; Ecclesia autem prohibet communicare cum tali ministro. Ergo magis obediendum est divino præcepto quam Ecclesie, in

casu isto quo non est invenire alium ad baptizandum meliorem.

**Secundo.** Quia plus tenetur excommunicatus vitare alium, quam alius vitare eum; quia illud præceptum de vitando non imponitur alicui nisi propter ipsum, nec imponitur sibi (α) nisi propter se. Sed præcisis, vel excommunicatus, in casu isto, non tenetur vitare alium; immo tenetur non vitare. Si enim talis præcisis sciret parvulum aliquem non baptizatum statim moriturum, tenetur necessario eum baptizare, et ita non vitare in actu (6) baptizandi. Hoc probatur: quia, si inveniret eum expostum periculo vitae corporalis propter famem, tenetur necessario eum nutritre, ad salvandum vitam corporalem; magis autem (γ) tenetur diligere vitam ejus spiritualem quam corporalem; ergo, quando parvulus est expostus periculo vite spiritualis, tenetur ille sibi conferre remedium necessarium ad vitam spiritualem. Ergo multo magis aliis non tenetur eum vitare de communicando cum eo in tali casu vel actu.

**Tertio.** Quia Augustinus, *de Baptismo, contra Donatistas*, lib. 6, cito post principium (cap. 5), videtur dicere quod adulto licet recipere baptismum a præciso, si alius minister haberi non potest. Melius est enim quod a tali recipiat, quam quod de hac vita sine baptismo discedat.

**Quarto.** Quia, in casu quo pater parvuli non posset habere ministrum idoneum, et imminent periculum mortis, tenetur necessario offerre illum præciso: quia nimis esset durum dicere quod tenetur parvulum suum permittere daminari perpetuo, cum posset habere aliquem qui eum baptizaret, secundum illud, *de Consecratione*, dist. 4, can. *Romanus*, ubi, dicitur (δ): *Romanus Pontifex non attendit hominem qui baptizat, sed Deum, etsi paganus sit qui baptizat; et, ibid., can. Baptismus: Non exhorreat columba ministerium malorum (ε)*. — Hæc Scotus.

### § 4. — CONTRA QUARTAM CONCLUSIONEM

**Argumenta Durandi.** — Contra quartam conclusionem arguit Durandus (dist. 5, q. 2),

**Primo (ζ).** probando quod in nullo casu potest malus minister baptizare, quin baptizet ut minister, et, per consequens, quin peccet. Quia illud quod non potest facere aliquis nisi minister, non potest

(α) a verbo nisi usque ad *sibi*, om. Pr.

(β) *actu.* — casu Pr.

(γ) autem. — enim Pr.

(δ) *in fine.* — Ad Pr. Hæc verba quæ inventuntur etiam in textu Scoti, ostendunt illum quendam confusionem secessisse inter can. *Romanus* et alium, longiorum quidem, qui incipit sic, *Si quis per ignorantiam*, et reperitur, Caus. I, q. 1, can. 59, in cuius fine legitur: *Romanus Pontifex, etc.*

(ε) *malorum.* — *minorum* Pr.

(ζ) *Primo.* — Om. Pr.

(α) *p̄to.* — Om. Pr.

(β) *oblationem.* — *obligationem* Pr.

(γ) *velut.* — vel Pr.

(δ) *a.* — Om. Pr.

(ε) *Primo.* — Om. Pr.

facere nisi ut minister. Sed administrare quodecumque sacramentum non potest nisi minister tantum, ille scilicet qui ex ordinatione divina est minister; quia minister est de necessitate sacramenti, sicut materia et forma. Ergo nullus potest ministrare quodecumque sacramentum nisi ut minister. Et ideo quicumque baptizat, si est verus baptismus, oportet quod sit minister veri baptismi, et baptizet ut minister; licet non baptizet cum solemnitate instituta ab Ecclesia. Solemnitas enim non dat ei esse ministerium, sed est signum ministerii sui.

Secundo arguit quod nullus casus necessitatis excusat eum. Quia casus evitabilis, non est casus necessitatis excusantis a peccato; quia non (z) tollit rationem voluntarii. Sed talis est casus noster: quia, si incumbat alicui baptizare puerum morientem, et est sibi conscius alienus peccati mortalitatis, in potestate ejus est habere displicantiam de peccato illo, et tunc potest sine scrupulo puerum baptizare. Ergo talis casus necessitatis non excusat baptizantem quin peccet. — Hæc ille.

Et in hoc secundus articulus terminatur.

### ARTICULUS III.

#### PRONUNTUR SOLUTIONES

##### § 1. — AD ARGUMENTA CONTRA PRIMAM CONCLUSIONEM

**I. Ad argumenta Scotti.** — Quantum ad tertium articulum, respondendum est objectionibus supradictis. Et quidem

Ad primum Scotti contra primam conclusionem, dicitur quod, si major intelligitur de illis et quoad illa que pertinent ad jus civile et humanum, vera est; sed minor in eodem sensu accepta, falsa est, quia baptizari et credere non perficit ad jus humanum vel civile, sed ad naturale vel divinum. Si autem major intelligatur de his que pertinent ad jus naturale vel divinum, falsa est; quia in talibus magis dominium et potestatem habent parentes in filium quam princeps. Nec valet probatio majoris negatae in hoc sensu. Quia potestas principis in talibus non est major nec superior potestate parentum, sed minor, vel forte nulla, quamdiu parvulus non habet usum rationis; nisi forte in casu de quo dicetur post. Item, potestas principis non se extendit ad hoc quod cogat subditos obedire Deo de novo, scilicet illos qui nunquam fidem suscepserunt, ad hoc quod eam suscipiant. Unde sanctus Thomas, 2<sup>a</sup> 2<sup>r</sup>, q. 10, art. 8, sic dicit: « Infidelium quidam sunt, qui nunquam suscepserunt fidem, sicut Gentiles et Judei. Et tales nullo modo compellendi sunt ad fidem, ut ipsi credant; quia credere est voluntatis.

tatis. Sunt tamen compellendi a fidelibus, si facultas adsit, ut fidem non impedian blasphemis, vel malis persuasionibus, vel etiam apertis persecutio-ribus. Et, propter hoc, etiam fideles Christi fre-quenter contra infideles bellum movent: non quidem ut eos ad credendum cogant, sed, etiam si eos vicissent, et captivos haberent, in eorum libertate relinquenter, an credere vellent; sed propter hoc ut eos compellant ne fidem Christi impedian. Alii vero infideles sunt, qui quandoque fidem Christi suscepserunt, et eam profitentur, sicut haeretici, vel alii quicunque apostatae. Et tales sunt etiam compellendi, ut impleant quod promiserant et teneant quod semel suscepserunt. » — Hæc ille. — Ad hoc etiam facit illud quod ipse dicit, 4<sup>a</sup> 2<sup>r</sup>, q. 91, art. 4, ubi sic dicit: « De his potest homo legem ferre, de quibus potest judicare. Judicium autem hominis non potest esse de interioribus motibus, qui latent; sed solum de exterioribus, qui apparent, etc. »

De hoc Petrus de Palude (dist 4, q. 4, art. 4), sic dicit: « Videtur quod Ecclesia posset compellere Iudeos et filios eorum ad baptismum sicut filios christianorum. Quia patres eorum christiani fuerunt, et ad legem Moysi se obligaverunt, et per con-sequens ad fidem Christi, cum sit eadem fides modernorum et antiquorum; et eadem Ecclesia, quae est una columba. Ergo, sicut haeretici ab Ecclesia Gentilium exeuntes, ad eam cogi possunt, et ipsis invitatis forte filii grecorum ad ritum nostrum licite attrahuntur; sic et Judei, filii sanctorum palmarum, maximè quia et ipsi ad legem Moysi se obligaverunt. Executio (z) autem pertinet ad judicium Ecclesiae legis veteris, sicut et legis novae. Sicut ergo haereticos legis novae professores Ecclesia cogit ad ipsius observantium secundum verum illius intellectum, quamvis non obligent se ad eam secundum verum intellectum, sed secundum suum, quia tamen obligando se ad eam obligant se ad verum intellectum; similiter Judei, professores legis Moysi, quamvis non obligaverint se ad legem secundum verum intellectum, sed secundum suum, cogendi tamen sunt ad hoc ipsum, et liberi eorum, ut vide-tur. Videtur etiam quod omnis paganus posset cogi. Sicut enim omnis homo paganus potest puniri a principe catholico propter crimen (unde Sarraenus, si homicidium committeret Parisius, juste suspen-detur); ita, cum (6) infidelitas sit magis peccatum, cum ipse teneatur ad suscipiendum legem Christi et fidem, non suscipiendo eam, peccat. Cum ergo peccatum omissionis sit peccatum pena dignum, sicut peccatum commissionis, sicut posset ab Ecclesia puniri de blasphemia et contumelia Creatoris (sicut quotidie puniuntur Judei, ut discant non blasphemare); sic possunt omnes infideles puniri,

(x) *Executio. — Expositio Pr.*

(z) *Ita, cum. — cum ergo Pr.*

quia non recipiunt nec fidem, nec sacramenta Ecclesie, ut sic indirecte eam suscipient. Et quia ritus Iudeorum est idolatria, hoc saltem, ut videtur, punire potest Ecclesia. — Sed, licet ita videatur esse secundum rationem, aliter tamen est secundum divinam prohibitionem. A sanctis enim traditum habemus, quod non est voluntas Dei ut occidantur, Psalm. (58, v. 12) : *Nec occidas eos, ne quando obliviscantur populi mei*, ut scilicet maneat memoria mortis Christi. Item, secundum prophetias, prædicatione Enoch et Eliae sunt convertendi; unde usque tune vult Deus eos in sua cæcitate tolerari. Si autem ipsi, vel eorum filii, ipsis invitatis, baptizentur, tune nulli tempore Enoch et Eliae inveniuntur; nec, per consequens, prophetie verificarentur. Similiter idem videtur de aliis infidelibus. Quia ab Apostolis traditum habemus, ut ad fidem nemo invitatus trahatur, vel cogatur: sicut patet per hoc quod beatus Jacobus dixit Hermogeni et Phileto; et Apostolus dicit (1. Corinthior. 5, v. 12) : *Quid ad nos de his qui foris sunt judicare?* Unde non homines armatos, fortes et potentes, sed infirma et contemptibilia elegit Deus, ut gladio oris, non materiali, homines convertat. Unde de aliis criminibus possunt juste infideles a fidelibus puniri, quia Deus non prohibuit, et naturalis ratio dictat; de crimine autem infidelitatis, non. Unde, sicut mulier, si ordinetur, non solum peccat, sed etiam nihil recipit, quia Deus ordinavit quod vir et non mulier ordinetur; sic Deus ordinavit quod adulterus volens voluntate propria, et parvulus voluntate parentum baptizetur; unde aliter nihil agitur. Item, sicut brutum non est capax baptismi, sic nec puer, sine voluntate parentum. Sed istud exemplum nihil valet: quia ex quo homo est, susceptivus baptismi est; sed, praeter hoc, ad essentiam baptismi requiritur intentio sua, vel alterius; et ideo non est proprium exemplum. — Sed quod aliqui dicunt, quod decretum Ecclesie nihil juris habet in parvulis non baptizatorum, sed in parvulis baptizatorum, non videtur valere. Quia, eo ipso quod (2) aliquis committit crimen heres, cuius cognitio pertinet ad Ecclesiam, Ecclesia habet aliquid juris in eo, et fit de foro Ecclesie. Cum ergo peccatum originale solo iudicio Ecclesie possit purgari, scilicet sacramento baptismi, quod est solius Ecclesie, ergo, eo ipso quod habet originale, habet in ipso aliquid Ecclesia; immo, cum nihil possit solvi vel ligari nisi a superiori, nisi esset Ecclesie subjectus, non posset Ecclesia per aliquid sacramentum ei exhibitum ipsum solvere a culpa, nec a pena. Sed ad hoc dicitur quod adulterus se subjicit voluntate propriæ; parvulus autem se subjicere non potest; unde oportet quod parentes eum subdant, quibus natura eum subjicit, et ejus procuratores fecerit. — Si dicatur

quod istud crimen non contraxit in terra Ecclesie, quia non est natus de ventre fidi, nec de patre fidi, — non videtur valere. Quia dictum est Petro (Matth. 16, v. 19) : *Quodcumque solveris super terram*, etc. Unde totus mundus est ei pro navicula: ita enim habuit sedem in Antiochia, sicut in Roma; et ubicumque vult, potest esse sedes sua, etiam in Babylonie. Unde, cum habeat plenitudinem potestatis in omni terra, et in omni homine eam habet, etiam si nec parentes nec ipsi se subjiciant; Deus enim subjicit sibi omnem hominem. Unde non facit hoc defectus juris, sed prohibitus superioris. Unde et de aliis criminibus punit infideles; sed de isto non, quia Deus prohibet, cui coacta servitia non placent. Et sic Ecclesia potest de his que foris sunt judicare, sicut potest arcere infideles a (2) communione fidelium, propter peccatum in moribus, non propter peccatum in fide, quod est in eorum ritu. — Et si arguantur contra ea que dieta sunt: quia magis est occurendum periculo mortis aeternae quam temporalis; sed parvulo existenti in periculo mortis temporalis subveniendum est contra voluntatem parentum, etiam si ex malitia vellent oppositum; ergo multo magis subveniendum est pueris infidelium contra periculum mortis aeternae, etiam invitatis parentibus; — respondetur, et bene, quod nulli subveniendum est contra ordinem juris civilis in periculo corporali. Unde, si quis a judice suo rite condemnatur ad mortem, non est per violentiam diripiendus. Et similiter, contra ordinem juris naturalis et divini, quod filius est sub cura parentum, non est eripendus, ut liberetur a periculo mortis aeternae. Non enim sunt facienda mala, ut eveniant bona. Hoc autem fieret, si filius infidelis parentibus auferretur, quorum cura subest, quantum est de jure naturali et divino: quia, sicut non esset auferenda aqua propria alieni, eo invito, ad puerum baptizandum, si eam nollet dare gratis, nec pro pecunia, quia esset contra justitiam; sic nec puer auferendus est patri, propter baptismum. Nec obstat si (6) licet auferre paneum propter extremam necessitatem proximi relevandam, vel aquam propter sitim (7): quia aqua et panis sunt ad hoc ex natura sua, ut succurrant corpori; sed ad subveniendum anime, non, nisi ex institutione positiva. Sicut, propter mortem, licet recipere elemosynam ab excommunicato, non tamen ei loqui, vel ad missam eum recipere, si aliter mortem intentet. Extra, *De his que ei metusse causa sunt*, cap. Saeris: quia cibus est per se et de se remedium contra mortem, et similiter potus; non sic autem est de loqua vel missa. Sicut non licuit Susanna adulterari propter mortem, vel ut mortem evaderet. Immo, si

(2) a verbis *his quæ usque ad infideles a. om.* Pr.

(6) *Nec obstat si.* — *sic ut Pr.*

(7) *propter sitim* — *præsertim* Pr.

medici dicerent, et verum esset, quod nisi infirmus fornicationem fecerit morietur, nullo modo fornicari licet. Sed nec contrahere (2) licet religioso, vel voto obligato, propter tale periculum. Sed, propter tale periculum, contrahere licet non obligato ad continentiam. Sed de aqua videretur quod posset auferri propter puerum baptizandum : quia, etsi usus ejus per se non sit ad lavandum animam, est tamen ad lavandum corpus; et sicut corporis etiam lotio indiguit pro corporis salute, ita in regeneratione; unde, sicut, si vita pueri sine balneo non posset servari, propter hoc posset aqua auferri, ita videretur et hic. Sed non est simile : quia lotio corporis de natura sua est materia balnei; non sic autem est (6) causa regenerationis, nisi ex divina institutione. — Si vero contra dicta arguitur: quia quilibet homo est magis Dei, a quo habet animam, quam patris, a quo habet corpus; non igitur videretur inustum, si pueri infidelibus auferantur, et Deo per baptismum consequentur; — respondet, et bene, quod homo ordinatur in Deum per rationem, per quam potest Deum cognoscere; et ideo puer, antequam habeat usum rationis, ordinatur in Deum per rationem (7) parentum, quorum curae naturaliter subiacet. Propter quod secundum eorum dispositionem sunt circa eum agenda divina. Unde, si puer parentes non habeat, vel non compareant, quicunque vult, loco parentis ei sit; et sicut in nutriendo, ita in baptizando; et sufficit quod non appareat voluntas parentum contraria. Et si quidem pater et mater iudei mortui essent, sicut pater aliquando moritur relicta uxore pregnante, que etiam moritur in partu, vel moriuntur ambo parentes antequam puer habeat usum rationis, tunc propinquiores le generatione sunt tutores legitimii loco parentum; inde non deberent nec possent baptizari ipsis invitis, sicut nec parentibus invitis. Sed si non apparent nec parentes nec proximi loco parentum, succedit tunc quicunque vult; et ideo quicunque vellet, posset eum baptismu tunc offerre; quia naturalis ratio dicit ut cui parens deficit, aliis parens sit, sicut una avis alienos pullos nutrit, quando mater deficit. — Ex his omnibus colligitur quod, sicut parentes non possunt cogi ad ea quae sunt pure fidei supra legem naturae, et, si coacti non consentientes baptismum recipiant, nihil est actum, licet ad ea que sunt legis nature possint cogi; sic filii eorum, contra eorum voluntatem in his que sunt legis naturae possunt coerceri, ut scilicet eis subjiciantur, et in hisque sunt pure juris divini, et que voluntatem veram requirunt, vel interpretativam, non habebat fieri, nec factum valet. Sed quicunque parentum consentiat, eijusunque aetatibus parvulus sit, in

(2) a verbo *licet* usque ad *contrahere*, om. Pr.

(5) dicitur. — Ad Pr.

(7) a verbis *per quam potest* usque ad *rationem*, om. Pr.

favorem illius videretur baptizandus. Quia de patre expressum est, *De conversione infidelium*, cap. 2. De matre videtur contrarium de facto in Augustino. Sed, sicut, secundum leges, quando pater egit ad divortium, et est timor ne machinetur in prolem odio alterius, per matrem debet potius educari; sic hic debet matri dari. Unde, quia ille qui non vult converti, dat causam divortii, ideo apud conversum debet educari, sive sit pater, sive mater, sive major triennio, sive minor, Auth. *Si pater*, C., *Divortio facto, apud quem Tiberi morari vel educari debeant*(2); quia pupillus non debet educari apud illas personas que ipsius pudicitie possunt insidiari, ff., *Ubi pupillus educari vel morari debeat*(6), leg. penult., etc. Hucusque sunt verba Petri de Palude. In quibus hic unum est dubium, scilicet utrum parvuli infidelium ipsis invitis baptizati recipient verum baptismu, quoad primam vel ultimam rem sacramenti, scilicet characterem et gratiam. Sed, quidquid sit de hoc, ex dictis ejus apparet quod nec Imperator nec Papa debet filios infidelium ipsis invitis baptizare, quamdiu pueri ex jure divino vel naturali subsunt curae parentum. Et principalis ratio est : quia Deus prohibet ne infideles, aut eorum filii ante usum rationis, cogantur ad suscipiendum fidem vel baptismum. Sed specialis ratio est de parvulis : quia, hoc faciendo, fieret injuria parentibus, et contra jus naturale. Et iterum : quia, secundum Petrum, parvuli ex tali baptismu nihil susciperent, cum nec adesset eis voluntas propria, nec interpretativa; quia voluntas interpretativa parvolorum, ante usum rationis, non est nisi voluntas parentum, quorum curae subsunt. Secus autem est, si curae illorum per mortem vel justum judicium subtrahantur, ut post dicitur.

Dicendum ergo ad dicta Scoti, primo, quod princeps non potest cogere infideles ad suscipiendum fidem, nec ad fidei sacramenta, nec ad obediendum Deo in his que pure spectant ad jus divinum, et excedunt rationem naturalem. Secundo, dicitur quod nullus princeps aut prelatus christianus debet aut potest licite talium filios invitis parentibus baptizare, quacunque cautela adhibita, propter rationes predictas. — Tertio, dicitur quod, posito, sed non concesso, quod minus malum esset iudeis, aut aliis infidelibus, privari libertate servandi legem suam et ritus, quam habere libertatem servandi; tamen priuanti eos tali libertate, et cogenti ad servandum legem Christi, esset deterius et peccatum, quia agebat contra prohibitionem Dei. Ipsiis etiam Iudeis et infidelibus poneretur scandalum : quia gravius peccarent agendo contra legem et sacramenta Christi

(2) Auth. *Si pater*, C., *Divortio facto, apud quem liberi morari vel educari debeant*. — Ar., C., *de Divort.*, autem. *Si mater* Pr.(6) *educari vel morari debeat*. — *debeat educari* Pr.

suscepta, quam ante susceptionem. — Quarto, dicitur quod, dato quod talium filii, post tertiam et quartam generationem bene educati, essent vere fideles, tamen non sunt fienda mala ut eveniant bona; nec propter desiderium alienae salutis debet quis propriæ salutis incurrire detrimentum. — Quinto, dicitur quod, quia divina præscientia et revelatio prophetica habet Judæos per Antichristum fore pervertendos, et ad prædicationem Eliæ convertendos, hoc solum debet sufficere ad propositum, quod scilicet non sunt cogendi in totum ad fidem, quia hoc esset frustra niti contra divinam præscientiam et revelationem; et, eadem ratione, neque in partem; et sic reclusio et sequestratio illorum in quadam insula parum valeret. — Sexto, dicitur quod toleratio ritus judæi non solum in fine mundi, verum etiam de presenti prodest Ecclesiae, et non modicum fructum assert. De hoc sanctus Thomas, 2<sup>a</sup> 2<sup>e</sup>, q. 10, art. 11, sic dicit: « Humanum regimen derivatur a divino regimine, et ipsum debet imitari. Deus autem, quamvis sit omnipotens et summe bonus, permittit tamen aliqua mala fieri in universo, quæ prohibere posset, ne, eis sublati, majora bona tollerentur, vel etiam pejora mala sequerentur. Sic ergo et in regimine humano illi qui presunt, recte aliqua mala tolerant, ne aliqua bona impediatur, vel etiam ne aliqua mala pejora incurrantur; sicut etiam Augustinus dicit in 2. de Ordine (cap. 4): *Aufer meretrices de rebus humanis, turbaveris omnia libidinibus.* Sic ergo, quamvis infideles in suis ritibus peccent, tolerari possunt, vel propter aliquod bonum quod ex eis provenit, vel propter aliquod malum quod vitatur. Ex hoc autem quod Judæi suos ritus observant, in quibus olim figurabatur veritas fidei quam tenemus, hoc bonum provenit, quod testimonium fidei nostra habemus ab hostibus, et quasi in figura nobis representatur quod credimus. Et ideo in suis ritibus tolerantur. Aliorum vero infidelium ritus, qui nihil veritatis aut utilitatis afferunt, non sunt aliqualiter tolerandi, nisi forte ad aliquod malum vitandum, videlicet ad vitandum scandalum vel dissidium quod ex hoc posset provenire, vel impedimentum salutis eorum, qui paulatim sic tolerati convertuntur ad fidem. Propter hoc enim hereticorum et pagani ritus aliquando Ecclesia toleravit, quando erat magna infidelium multitudo. » — Haec ille. — Ibidem etiam (arg. sed contra) allegat dictum Gregorii (lib. XI, epist. 45), in Decretis, dist. 45, cap. Qui sincera, ubi dicit: *Omnis festivitates suas, sicut haec tenus ipsi et patres eorum per longa collentes tempora tenuerunt, liberam habeant conservandi celebrandique licentiam.* — Septimo, dicitur quod exemplum Sisebuti prohibetur imitandum in sacro canone; nec laudatur de tali coactione, sed de pia intentione, sicut patet, dist. 45 (cap. 5), ubi sic dicitur: *De Judæis autem præcepit sancta synodus nemini deinceps ad credendum vim inferre: Cui enim Deus vult miseretur, et quem vult indurat. Non enim tales inviti salvandi sunt, sed volentes, ut integra sit forma justitiae. Sicut enim homo propria arbitrii voluntate serpenti obediens periit, sic, vocante ad se gratia Dei, propria mentis conversione quisque credendo salvatur. Ergo non vi, sed libera arbitrii sui voluntate atque facultate, ut convertantur suadendi sunt, non potius compellendi. Qui autem jam pridem ad Christianitatem coacti sunt (sicut factum est temporibus religiosissimi principis Sisebuti), quia jam constat eos sacramentis associatos, et baptismi gratiam suscepisse, chrismate unctiones esse, corporis Domini eestitisse participes, oportet ut fidem, quam etiam vi vel necessitate suscepint, tenere cogantur, ne nomen Domini blasphemetur, et fides quam suscepint, vilis ac contemptibilis habeatur.* — Hoc concilium Toletanum. — Item, ibidem (cap. 3), recitatur dictum Gregorii scribentis Pascasio Episcopo Neapolitano: *Quisque sincera intentione extraneos a Christiana religione ad fidem cupiunt reclami perducere, blandimentis debent, non asperitatibus studere, ne quorum mentem reddita ratio de plano poterat revocare, pellat procul adversitas. Nam quicumque aliter agunt, et eos sub hoc velamine a consueta ritus sui volunt cultura removere, suas illie magis quam Dei probantur causas agere.* — Haec Gregorius. — Ex quibus patet quod decreta non faciunt pro opinione Scoti, sed omnino contra.

**II. Ad argumenta Durandi.** — **Ad primum** Durandi contra eamdem conclusionem, dicitur quod tertia conclusio ibi posita, male probatur, scilicet quod filii Judæorum possunt invitis parentibus baptizari, quamdiu carent usu rationis. Et ad probacionem, dicitur quod argumentum pro conclusione nostra non solum probat de parentibus infidelibus, quod non sunt compellendi ad fidem et baptismum, immo probat quod parvuli eorum non sunt ipsis invitis et contradicentibus baptizandi. Et cum dicatur quod in casu quo omnino parvuli subtrahuntur cura parentum, etc.; — dicitur quod parvuli non possunt omnino subtrahi a cura parentum, quoad illa que concernunt jus naturale aut divinum, ante usum rationis; licet, quoad ea que concernunt jus civile, possint. Et ideo, quantumcumque vendantur et ad remotas regiones transferantur, nullus debet scienter contra voluntatem parentum eos baptizare ante usum rationis; quia nec forte ante illud tempus possunt licite patribus subtrahi, aut eis invitis vendiri, aut transferri. Sed post tempus illud possunt. Nec sanctus Thomas ullibi hoc concedit, quidquid sit de aliis suis sequacibus. Unde sanctus Thomas, 2<sup>a</sup> 2<sup>e</sup>, q. 10, art. 12, arguit sic, tertio loco: « Filii servorum sunt servi, et in potestate dominorum.

Sed Judaei sunt servi regum et principum. Ergo et filii eorum. Reges ergo et principes habent potestatem de filiis Iudeorum facere quod volunt. Nulla ergo esset injuria, si eos baptizarent invitis parentibus. » Ecce argumentum. Sequitur responsio. « Dicendum, inquit, quod Judaei sunt servi principum servitute civili, quae non excludit ordinem juris naturalis vel divini. » — Hec ille. — Item, in solutione quarti, sic dicit : « Homo naturaliter ordinatur ad Deum per rationem, per quam naturaliter eum cognoscere potest. Unde puer, antequam habeat usum rationis, naturali ordine ordinatur in Deum per rationem parentum, quorum curae naturaliter subjacet; et secundum eorum dispositionem sunt circa ipsum agenda divina. » — Hec ille. — Ex quibus appareat quod parvuli Iudeorum, ante usum rationis, non possunt sine prejudicio et injustitia totaliter subtrahi curae parentum, potissimum in his que sunt juris naturalis vel divini. — Dicitur secundo, quod, si, aliquo casu, sine prejudicio, parvuli possent totaliter subtrahi curae parentum, tunc de talibus videtur dicendum sicut de illis qui parentibus sunt orbati : quia ille qui eorum curam juste suscepit, succedit loco parentum; et secundum ejus dispositionem divina sunt circa ipsum agenda. Unde talis, si baptizetur ab eo qui habet curam ejus, non baptizatur invitis, immo volentibus parentibus. Et de hoc plura allegata sunt superius ex dictis Petri de Palude.

**Ad secundum et tertium** patet responsio per predicta; quia continentur virtualiter in primo argumen-to. Unde.

**Ad secundum** respondet Petrus de Palude (dist. 4, q. 4), dicens : « Non licet sua re uti ad omnem usum. Non enim licet uti ancilla ad concubitum, sed ad servitium; quia ad hoc est sua, et non ad illud. Unde nec invitam potest dominus accipere vel dare in uxorem. Similiter est servus principis non plus filius quam pater, immo filius non est servus, nisi quia pater, vel mater, quia partus sequitur ventrem. Sicut ergo patrem non posset cogere ad baptismum quamvis sit res sua; ita non potest cogere patrem in filio. Voluntas enim patris, voluntas filii reputatur: sicut pater testatur filio, sicut et sibi; et eligit ei sepulturam, sicut sibi. Unde, sicut filium adultum contra ejus voluntatem baptizare non posset, sic nec filium impuberem contra voluntatem patris, que est dispositiva de filio; quia illo jure valet testamentum pupillare factum a patre, quo testamentum (2) adulti sui juris factum ab eo. »

**Ad tertium** respondet qui supra. Dicit (ibid.) : « Per idem patet ad tertium : quia, in his que sunt juris humani, ad quae se extendit servitus, potest disponere princeps, patre invito, sicut et de ipso patre; sed non in his que sunt de jure naturali vel

divino; sicut non posset contrahere sponsalia pro filio vel filia, patre invito, sicut nec ipsum patrem invitum posset uxorare. » — Hec Petrus. — Ex quibus patet solutio ad dicta Scoti et Durandi.

Sed contra predicta potest objici. Quia opinio sancti Thomae et sequentium videtur fundari in quinque rationibus. Quarum prima est, quod, quamvis aliqui possint esse servi aliorum, quantum ad opera civilia, tamen in his que eis competit jure naturali et divino, non sunt servi, sed liberi (potest enim servus comedere et bibere invito domino, et matrimonium contrahere; haec enim competit eis de jure naturali; et similiter potest invito domino credere in Deum, et hujusmodi, que pertinent ad jus divinum); sed baptizari pertinet ad jus divinum; ergo cura parvolorum de jure naturali et divino competit quantum ad hoc parentibus; manifestum est autem quod non possunt eis licite auferri ut baptizentur, licet possint eis auferri ut vendantur, sicut et ceterae res et opera civilia. Contra istam rationem, ut dicit Petrus de Palude (dist. 4, q. 4), posset sic instari : « Potest enim dici ad minorem, quod educatio liberorum est de jure naturali, quod omnia animalia docent; sed doctrina in moribus, est de jure gentium. Si tamen pater vellet docere filium malos mores, non esset permittendus (puta quod esset moechandum, aut quod esset furandum, et hujusmodi); immo justo hoc sibi prohibetur (2), etiam tutela filii auferretur, et merito jure patriae potestatis privaretur, sicut dominus prostituiens ancillam, L. *Si lenones*, C., *De episcopali audiencia*, etc. (6); etiam, si pater liber esset, auferenda esset sibi filia, quam vellet prostituere. Cum ergo fornicatio spiritualis sit pejor, et magis noceat civilitati christiana, multo magis auferenda est sibi proles, quam vult facere a fide adulteram. » — Secunda ratio est : quia non minorem potestatem habent domini temporales super Iudeum, quam super ejus filium; immo quasi majorem; quia a servitute patris derivatur servitus filii; sed constat quod princeps non posset licite Iudeum compellere ad cultum baptismi suscipiendi in se, ut habetur, Dist. 45 (can. 5), ex Concilio Toletano, ubi dicitur sic : *De Iudeis praecepit sancta Synodus*, etc.; ergo non potest ei inferre vim, auferendo filium, ut baptizetur, cum voluntas filii parvuli sit voluntas patris, quousque habeat usum rationis. « Sed ad istam rationem potest responderi, quod contra voluntatem suam directam, vel interpretativam, nullus est baptizandus; sed voluntas patris non est voluntas filii, nisi in bonis filii, et in quantum se exhibet pius patrem, non autem hostem; sicut tutores et curati dicuntur domini, quando bene administrant, non autem quando pupillum spoliant. Item, si

(2) *prohiberetur*. — *prohibetur Pr.*

(6) L. *Si lenones*, C., *De episcopali audiencia*, etc. — C., *De episcopis*, *si lenones Pr.*

voluntas parentum non requiritur ad baptismum, ergo contraria voluntas non impedit baptismum (quia, si oppositum in opposito, et propositum in proposito); sed, si puer non habet patrem, nec matrem, sed ambo sunt mortui, cum non desit remedium salutis, sive sit fidelium filius, sive infidelium, puer potest et debet baptizari, et parentis gerens officium, qui ejus curam gerit, hoc facere habet; sicut ex pietate nutritur puer expositus, enjus parentes ignorantur; si ergo sine voluntate parentum potest esse verus baptismus, ergo et contra voluntatem eorum. Similiter, in habente usum rationis, eorum voluntas non requiritur ad effectum; et, per consequens, nec contraria voluntas impedit effectum (licet ad hoc posset dici, quod voluntas non requiritur <sup>(a)</sup>, nec per oppositum impeditur, quando non habet parentes, vel quando finita est tutela parentum; sed quaudiu vivunt, et enjus eorum incumbunt, secus est). » — Tertia ratio est: quia, si hoc esset licitum, credendum est quod sancti et Ecclesie rectores hoc consuluerint terris principibus quos habuerunt valde favorabiles, ut Sylvester Constantimum, et Ambrosius Theodosium, qui nunquam leguntur hoc fecisse; ergo non est probabile quod hoc possit licite fieri. Sed, ut dicit Petrus, « ad hanc rationem posset instari, et dici quod, propter scandalum, in principio Ecclesie multa omittebantur et dissimulabantur, quia modo non dissimulantur: tunc enim haeretici ad fidem non cogebantur, qui tamen juste poterant, ne videbatur fides viribus, non virtutibus, prosperari; tunc enim Ecclesia solum pugnabat gladio oris, nunc autem et gladio materiali pugnat contra hostes fidei. » — Quarta ratio est: quia non esset securum, sed valde periculosum, quod puer baptizatus, dum veniret ad etatem adultam, posset de facili resilire ab eo quod fecisset ignorans contra voluntatem habentium curam ejus. Ex quibus patet quod non est licitum principibus terrarum auferre filios Iudeorum, et offerre eos baptismu. Sed ad hanc rationem potest dici, secundum Petrum de Palude, quod et magis verisimile <sup>(b)</sup> est quod non redeat ad fidem, in qua non est nutritus, quam si esset in ea nutritus; quia adolescens juxta viam suam, etc. Unde magis probabiliter timetur quod manens in judaismo in perpetuum non convertatur, vel quod conversus perversatur, sicut saepe accidit, quam si a principio esset conversatus inter solos christianos, quia tunc raro ad judaismum redit. Si dicatur quod hoc videtur esse contra naturam: sicut mater habens filium suum mortuum, que alterius filium surripuit, cui justo iudicio redditus fuerit; et in perdicibus una alterius ova surripit, et que non peperit sovet, ad vocem tamen vere matris redit, illa spreta que

foverat; — dicendum quod non est simile in proposito, quia pia fraus est hic, et nutrix est mater, mater autem novarea. » — Quinta ratio est: quia ad susceptionem baptismi non sufficit quod non inveniatur obex contrariae voluntatis in eo qui debet baptizari; sed requiritur intentio suscipiendo baptismum directa vel interpretativa. Quod patet. Quia, si adultus aliquis sic esset nutritus, quod nihil omnino audivisset de fide, et esset in suo originali, si talis dormiret, et in dormiendo baptizaretur, constat quod nihil fieret; et tamen in voluntate ejus baptismus nullum obicem inveniret. Plus ergo requiritur, scilicet intentio suscipiendo baptismum, directa vel interpretativa, directa in adulto, interpretativa in parvulo. Sola autem voluntas parentum est voluntas interpretativa parvolorum, antequam habeant usum rationis; propter quod, consuevit dici quod antiquitus, ante datam circumscriptionem, salvabatur in fide parentum, non autem aliorum, nisi quatenus gerebant vicem parentum. Quare, si invitisi parentibus puer baptizaretur parvulus, nihil videtur fieri, cum desit voluntas eorum directa et interpretativa. « Sed, ut dicit Petrus, haec ratio verum dicit in majore, quod requiritur intentio vera vel interpretativa, nec sufficit non habere obicem, sicut in illo qui haberet legem naturalem, et non fidem. Sed in minori posset dici quod intentio interpretativa non est solum parentum carnalium, sed magis spiritualium, vel adoptantium. Unde, cum iste qui agit enjus salutis anime, exhibeat se patrem, alias vero hostem, ex quo iste qui adoptat eum exhibet se patrem, et ille tanquam patrinus pro eo respondet, qui gerit typum Ecclesie, videtur quod intentio et voluntas interpretativa parentum spiritualium ibi fuerit. Et hoc sufficit. Si enim tutor personae et curator rerum succedunt loco parentum, multo magis isti qui, quasi parentibus famosis vel furiosis existentibus, tutelam et curam filiorum suscipiunt. » — Haec Petrus. — Ex quibus videtur quod opinio nostra debilibus innitatur fundamentis.

Sed, his non obstantibus, tenendum ut prius; quia responsiones datae rationibus non valent. Quod patet, per singulas discurrendo. — Responsio siquidem ad primam rationem data, non valet. Quia parvulum, ante usum rationis, pater non potest docere malos mores; et ideo, ante illud tempus, non est sibi parvulus auferendus ad addiscendum bonos mores, nec ad preservandum ipsum a malis. Secus est dum puer est capax rationis; et ideo tunc, in tali casu, posset sibi auferri, si doceret eum malos mores. Item, secus est de doctrina morum, secus de doctrina in fide; quia primum pertinet ad jus civile, secundum ad jus divinum; et ideo similitudo non valet. — Similiter, responsio ad secundam rationem non valet. Primo, quia voluntas patris est voluntas filii in his quae pertinent ad jus naturale

(a) requiritur. — requiratur Pr.

(b) verisimile. — simile Pr.

vel divinum, antequam parvulus habeat usum rationis; secus est de his que spectant ad dispositionem juris humani et civilis. Secundo, quia non est simile de carente parentibus et baptizato sine voluntate parentum carnalium, et de habente parentes carnales baptizato contra voluntatem parentum carnalium: quia in secundo casu fit injuria parentibus parvuli, in primo vero nulli fit injuria, ut diffuse dictum est prius; unde similitudo non valet. Tertio, quia aliud est de adulto habente usum rationis, et de parvulo nondum habente; unde responsio ibidem data, bona est de non habente parentes, et de finita tutela. — Similiter, responsio ad tertiam rationem non valet. Quia nec in primitiva Ecclesia, nec post, aliquis imperator super hoc legem sanxit, nec sacri canones; immo talem coactionem reprobaverunt; quod non fecissent, si esset consona rationi: attento quod tam imperatores, quam reges christianorum, quam pontifices, majorem zelum habuerunt ad cultum Dei quam moderni et hujus opinionis inventores; et Ecclesia, que nunc gladio materiali pugnat contra haereticos, nullo modo approbat coactionem Iudeorum ad fidem, immo reprobat, et recte, propter multa superius dicta. — Similiter, responsio ad quartam non valet. Quia ea que sunt circa parvulum ante usum rationis, nullum habitum moralem aut intellectualem causant in eo; et ideo non inclinatur ad talia, potissime cum sunt ipso ignorantia, et contra voluntatem parentum suorum, ad quos naturaliter afficitur. Et, quidquid sit de hoc, tamen non sunt fienda mala ut eveniant bona; fieret autem malum, subtrahendo parvulum parentibus, quibus eum Deus et natura subiectit. Deus etiam prohibuit talen fraudem, quam respondens dicit esse piam; nec vult holocaustum offerri sibi de rapina rerum aut personarum, sicut fieret in proposito. — Similiter, responsio ad quintam rationem data non valet. Quia voluntas interpretativa parvuli, ante usum rationis, in his que sunt juris naturalis aut divini, est sola voluntas parentum, vel eorum qui loco parentum juste succedunt; secus est de civilibus et humanis. Et ideo similitudo data de tute et curatore nullum in proposito locum habet, ut diffuse patuit ex predictis (z).

## § 2. — AD ARGUMENTA CONTRA SECUNDAM CONCLUSIONEM

**Ad argumenta Scoti.** — **Ad primum** Scoti contra secundam conclusionem, dicitur quod, si major universaliter intelligatur, falsa est, scilicet quod omnes et quoslibet electos Deus predestinaverit ad diversos et inaequales gradus glorie, et quod nulli duo sint predestinati ad aequalem gradum glorie; quia unus homo non solum aequatur alteri

homini in gloria, verum etiam angelo, sicut communiter dicunt doctores, ut sanctus Thomas, 4 p., q. 108, art. 8, ubi sie dicit: « Quidam considerantes distinctionem naturarum, posuerunt quod nullo modo homines transferri possunt ad aequalitatem angelorum. Quod est errorem. Repugnat enim promissioni Christi dicentis, Lucie 20 (v. 36), quod *fili resurrectionis erunt aequales angelis in celis*. Illud enim quod est ex parte naturae, se habet ut matériale in ratione ordinis; completivum vero est id quod est ex dono gratiae, que dependet ex liberalitate Dei, non ex ordine nature. Et ideo per dominum gratiae homines mereri possunt tantam gloriam, ut angelis aequentur secundum singulos angelorum gradus; quod est homines assumi ad ordines angelorum. » — Haec ille. — **Similia ponit**, 2. *Sentent.*, dist. 9 (q. 1, art. 8), et multis aliis locis. — Dicitur secundo, quod, si illa major non intelligatur universaliter, sed particulariter, tunc ex illa non sequitur quod talis inegalitas sit inter parvulos baptizatos, quibus ex sola gratia baptismali, sine aliis meritis, Deus disponit vel predestinavit dare gloriam, et qui in sola tali gratia decedunt; sed est fallacia consequentis. — Dico tertio, quod, si major intelligatur de parvulis baptizatis quibus Deus disponit dare gloriam non solum ex gratia baptismali, sed propter alia merita sequentia, tunc, concesso quod aliqui tales sint preordinati ad inaequalem gloriam, et consequenter ad inaequalem gratiam, tunc dico quod, quidquid sit de conclusione, tamen ex hoc argumento, sine pluri, non probatur quod illam inegalitatem gratiae percipient in baptismate, sed post, per inaequalem dispositionem ad augmentum gratiae, vel per inaequalia bona opera, vel inaequalem susceptionem sacramentorum, et per alia que faciunt ad inaequale augmentum gratiae. Et ideo argumentum nullo modo probat ex parte causa principialis, que est divina predestinatione, nec ex parte cause instrumentalis, que est baptismus, quod tales parvuli in baptismate suscipiant inaequalem gratiam. — Dicitur quarto, quod illud quod additur de speciali benevolentia Dei ad unum parvulum predestinatum plusquam ad alium, quorum iterque decedit in sola gratia baptismali, non probatur ratione, nec auctoritate, quod sit ita, sed quod possit esse; et hoc non negatur.

**Ad secundum** dicitur similiter, quod passio Christi, que est causa meritoria et effectiva instrumentaliter illius gratiae que confertur in baptismate et in aliis sacramentis, aequo efficaciter operatur, quantum est de se, in aequo dispositis ad suscipiendum ejus effectum, dum tamen eis aequaliter applicetur per actum suscipientis, vel per adhibitionem sacramenti. Quod autem Christus specialius obtulerit passionem suam pro uno parvulo baptizato quam pro alio, quorum iterque decedit in sola gratia baptismali, non probatur quod ita fuerit ratione nec auctoritate, sed

(z) *Hoc Petrus.* — Ad. Pr.

solum quod ita potuerit esse; et hoc non negatur. Posito tamen quod ita fuerit, non tamen ex hoc habetur quod ista inaequalitas gratiae veniat ex virtute baptismi, aut passionis Christi, precise et de per se, sed propter aliud, scilicet propter specialiorem affectionem Christi ad unum quam ad alium; sicut in alio proposito ostendit sanctus Thomas, 3. *Sentent.*, dist. 22, q. 2, art. 2, in solutione quartae questionis, ubi querit: Utrum Christus, in suo descensu ad inferos, liberavit omnes qui erant in purgatorio. Dicit enim sic: «Quamvis hoc non inveniatur determinatum a sanctis, potest tamen fieri quod illi qui erant in purgatorio, non fuerint liberati. Quia, cum poena purgatorii debeatur peccato actuali, oportet quod expietur per proprium actum, vel passionem illius qui peccavit, vel alterius specialis personae agentis pro ipso. In purgatorio autem culpa non potest expiari per aliquem actum meritorium, quia non sunt in statu merendi. Unde oportet quod expietur culpa eorum per penam quam ipsi suscipiunt; nisi per suffragium eorum qui sunt in statu merendi, liberentur. Passio autem Christi immediate removit impedimentum ex peccato originali proveniens, quod ex altero contractum est. Sed ad removendum penam debitam pro actuali peccato, quod quis ex seipso commisit, pertinet ejus efficacia mediante aliquo sacramento circa personam exhibito, aut aliquo actu ipsius personae, vel alterius ad ipsam relato. Et ideo non decebat ut per solam passionem Christi a purgatorio liberarentur; nisi dicatur quod in vita sua hoc mererunt, ut per passionem Christi liberarentur; vel hoc ex speciali gratia fuit, quod illi qui in purgatorio inventi sunt, absoluti sunt per passionem Christi; quamvis innumerissimi qui sunt in purgatorio, non consequantur effectum plenariae liberationis ex sola passione Christi. » — Hec ille. — Item, 3 p., q. 52, art. 8, in solutione secundi, sic dicit: «Virtus Christi operatur in sacramentis per modum satisfactionis et expiationis enjusdam. Unde sacramentum Eucharistiae liberaliter homines a purgatorio, inquantum est quedam sacrificium (2) satisfactorium pro peccato. Descensus autem Christi ad inferos non fuit satisfactorius. Operabatur tamen in virtute passionis, que fuit satisfactoria; sed erat satisfactoria in generali, cuius virtutem oportuit applicari ad unumquemque per aliquid specialiter ad ipsum pertinens. Et ideo non oportet quod per descendum Christi ad inferos omnes fuerint a purgatorio liberati. » — Hec ille. — Sic, in proposito, dicitur quod, posito quod parvuli inaequalem gratiam acciperent in baptismio, hoc non esset ex ipso baptismio; nec proprie ex passione Christi, que se habet ut causa quedam universalis collationis gratiae et remissionis peccatorum; nec agit effectum particulariem, nisi adhibetur singulis mediante aliqua

causa particulari, puta per fidem vel sacramenta, ut ostendit sanctus Thomas, 3 p., q. 49, art. 1, in solutione quarti et quinti. Et, eadem ratione, fructus passionis et effectus non inaequaliter participatur, nisi propter inaequalitatem dispositionis vel applicationis, etc. Hoc autem in parvulis locum non habet.

Ad tertium dicitur quod nihil arguit contra conclusionem, sicut nec precedentia. Tum quia non probat quod de facto major gratia conferatur unius parvulo baptizato quam alio, sed solum quod ita potest esse. Tum secundo, quia, hoc posito, non habetur quod ista inaequalitas sit virtute baptismi, sed aliunde; et quod hoc accidit baptismi et ejus effectui, nec convenit de per se. De predictis, et specialiter de aequalitate baptismi, a quoquecumque conferatur, ponit sanctus Thomas, 4. *Sentent.*, dist. 5, q. 2, art. 2, q<sup>ta</sup> 3, ubi querit: Utrum baptismus datus per meliorem ministram, habeat majorem effectum. Arguit enim sic (arg. 1): «Multiplicata causa, multiplicatur effectus. Sed baptismus ex opere operato gratiam confert; et similiter etiam patet quod sancti homines ex opere operante primam gratiam alieui merentur. Ergo, si opus operans baptizantis adjungatur cum efficacia baptismi, major gratia datur. » Ecce argumentum. Sequitur responsio: «Dicendum, inquit, quod aliquid dicitur esse effectus alienus per se, et aliquid per accidens. Per se quidem effectus alienus est quod per ipsum ad hoc ordinatum producitur, sicut domus aedificatoris. Per accidens autem est id quod conjungitur ei quod est effectus per se, sicut si inhabitatio domus dicitur effectus aedificatoris. Si ergo dico quod effectus per se baptismi, aequalis est, a quoquecumque detur, vel a malo, vel a bono, ceteris paribus ex parte baptizati. Sed cum effectu baptismi potest aliquid aliud baptizato conferri, sive pertineat ad salutem corporis, sive animae, ex merito baptizantis. Sed hoc non est proprius effectus baptismi: quia baptismus non est nisi causa instrumentalis; et non est instrumentum agens in virtute ministri, qui et ipse est instrumentum, sed in virtute Christi et Dei. Et per hoc patet solutio ad objecta. » — Hec ille. — Ex predictis concluditur quod effectus de per se baptismi, aequalis est in omnibus parvulis baptizatis; sed effectus de per accidens, potest esse inaequalis, ex illo triplici capite tacto per arguentem. Et ideo argumenta ejus non procedunt contra mentem conclusionis, immo exponunt conclusionem.

### § 3. — AD ARGUMENTA CONTRA TERTIAM CONCLUSIONEM

**Ad argumenta Scotti.** — Ad primum Scotti contra tertiam conclusionem, dicitur quod nec illud nec alia procedunt contra conclusionem. Quia, sicut

(2) sacrificium, — sacramentum Pe.

patet in probatione conclusionis, licitum est in casu necessitatis quam bene exprimit arguens, recipere baptismum ab haeretico, vel schismatico, aut excommunicato, aut quocumque praeciso ab Ecclesia: ut puta, si suscipiens erit in periculo mortis, nec adeset alius qui seiret et vellet, posset eum baptizare. Ideo conceditur conclusio argumentorum, tanquam declarativa conclusionis nostre. Unde beatus Thomas, 4. *Sentent.*, dist. 6, q. 1, art. 3, in solutione tertiae quæstiunculae, sic dicit: « Ille qui baptizatur ab haeretico, propter peccatum haeretici non privatur gratia baptismali, sed quandoque propter peccatum proprium. Unde, si sit puer, in quem culpa actualis non cadit, si baptizator in forma Ecclesie, recipit sacramentum et rem sacramenti. Et similiter, si sit adultus, et baptizans non sit haereticus manifestus et ab Ecclesia praecisus, vel si baptizatus sit in articulo necessitatis. Si autem scit ipsum esse haereticum, et ab ipso baptismum extra casum necessitatis recipiat, hoc contingit, vel quia favet haeresi sue, vel in contemptum Ecclesie, vel propter aliquod commodum temporale; et sic ipsem peccat. Unde proprio peccato obicem ponit Spiritui Sancto, ne consequatur rem sacramenti. » — Haec ille. — Et, ibidem, in solutione primi, exponens dictum Augustini dicentis (*de Baptismo, contra Donatistas*, lib. 4, cap. 1 et 2), quod qui foris Ecclesiam baptizantur, non suscipiunt baptismum ad salutem, sed ad perniciem, etc., respondet sanctus Thomas, quod « Augustinus loquitur in illo casu quo aliquis in favorem haeresis ab haeretico baptismum suscipit ». — Haec ille. — Et ad hunc sensum intelligenda sunt omnia que dicit, 3 p., q. 64, art. 9; que recitata sunt in probatione conclusionis. Et similiter illud quod dicit ibidem in solutione tertii, ubi dicit quod « qui accipit sacramentum ab excommunicato, suspenso, vel degradato, peccat, et non recipit rem sacramenti, nisi per signoriantiam excusat ». Et similiter intelligendum est illud quod dicit, eadem quæstione, art. 6, in solutione secundi, ubi dicit quod qui recipit sacramentum a ministro praeciso ab Ecclesia, qui est excommunicatus, vel suspensus, vel degradatus, « peccat, quia communicat peccato ejus, etc. » Haec omnia intelligenda sunt quando baptizandus non est in articulo necessitatis extremæ. — Si dicatur quod adultus non potest esse in tali articulo necessitatis extremæ, quia ubi non inveniret alium baptistam nisi eum quem scit esse haereticum, vel ab Ecclesia praecisum, sufficit ei baptismus penitentiae; — non valet: quia, ut arguit Scotus, et iene, praeceptum Dei est debaptismo suscipiendo, etc. Nec valet, si dicatur quod participat peccato alienus, etc.: quia, in tali casu, baptizans non peccat, ita dicit quarta conclusio; et sic nec baptizatus ab eo communicat peccato ejus.

#### § 4. — AD ARGUMENTA CONTRA QUARTAM CONCLUSIONEM

**Ad argumentum Durandi.** — Ad primum Durandi contra quartam conclusionem, respondet Petrus de Palude (dist. 5, q. 2), dicens quod « major illius argumenti, quantum est ex forma, est falsa: quia homo non potest baptizare, nisi sit coloratus, quia, si non sit coloratus, non est homo; non tamen baptizat in quantum coloratus. Tamen concedendum est, gratia materie, quod homo non baptizat nisi ut minister Christi et sacramenti. Nec tamen judex, qui, ut minister Christi et legis, suspendit latronem (2), et carnifex execundo actum, propter hoc peccat, quamvis sit in peccato. Sed qui facit aliquid, in quantum minister Ecclesie sanctus et sanctificatus, ille, nisi sanctus sit, peccat. Sed, si facit aliquid, non in quantum minister Ecclesie ad hoc ipsum sanctificatus exterius, quia hoc idem de voluntate Ecclesie facit minister non sanctificatus, tunc secus est. Unde, si mancus videret puerum morientem, consulere deberet (3) peccatori, vel etiam dicenti se nolle de peccato poenitere, ut baptizaret eum; et tamen nulli consulendum est quod peccet. Item Decretalis (*De paenitentiis et remissionibus*, cap. *Quod quidam*) dicit recipiendam esse confessionem ejus qui etiam dicit de peccato se non poenitere. Et similiter consultur ei, licet iminundo, sacramentum tangere. Sed hoc non facit ut minister sanctificatus ad hoc, sicut sacerdos qui absolvit. Item dicit Innocentius, *De paenitentiis et remissionibus*, cap. *Quod in te* (4), quod sacerdos peccator, in necessitate communicans morientem, excusat peccato. Similiter, si quis non solemniter dicit Epistolam, sicut et laicus faceret, quamvis sit subdiaconus excommunicatus, non efficitur irregularis; quia non administrat in suo ordine solemniter, sicut prius. Ergo, a simili, in proposito. Unde tunc peccat, quando administrat solemniter sacramentum, solemnitate ab Ecclesia instituta; quia sic non debet ministrare, nisi qui ad hoc est solemniter institutus, sive consecratus. Et, licet solemnitas sacramenti quod dat, non faciat ipsum ministrum, tamen supponit eum, et requirit ministrum solemnitem, et solemniter sacrum. Unde solemnitas sacramenti requirit solemnitatem ministri. Et sicut solemnitas requirit solemnitatem, sic sanctitatem. » — Haec Petrus, et bene.

Ad secundum dicit (ibid.) quod « in (5) aliquo casu est possibile intervenire ministro aliquod tale et reale impedimentum, quod minister non potest amovere (6); ut si est catechumenus, non baptizatus, non potest seipsum baptizare, saltem baptismu flu-

(2) *latronem*. — *latonem* Pr.

(3) *deberet*. — *debet* Pr.

(4) In hoc capite dicit Innocentius III, *paenitentiam ac viaticum non negari morientibus, tempore interdicti*.

(5) *in*. — *in*. Pr.

(6) *amovere*. — *movere* Pr.

mínis; item, si est excommunicatus, non potest seipsum absolvare, et sic necessitatur in suo impedimento remanere. Et tamen, hoc non obstante, potest et debet baptizare, multo magis quam sane morientem pascere. Et tamen excommunicatus est magis separatus a sanctis vel sacramentis, quam peccator. Plus enim peccat sciens se excommunicatum, si celebret antequam absolveretur, dato quod de omni peccato esset contritus, quam non excommunicatus, si in peccato mortali celebret. Et, quidquid sit de hoc, ad minus episcopus conferens ordinis, plus peccaret excommunicatus, quam in peccato mortali existens; unde plus punitur, et ipse, et qui sacramentum ab ipso susciperet. Et tamen, non obstante (2) quod magis sit prohibitum excommunicato conferre sacramentum quam peccatori, tamen excommunicatus, in necessitate baptizans, excusatur a peccato. Ergo multo magis peccator. — Item, potest dici quod sola necessitas non excusat, quando non est necessitas absoluta, sicut bene arguitur. Quia ita habet sacerdos necesse baptizare puerum solemniter quando requiritur in Ecclesia, sicut vetula quando moritur (et sic peccaret mortaliter, si renueret); nec propter hoc excusatur, si est in peccato mortali, quia potest pœnitere. Sed quando necessitas est absoluta, tanta quod ipse sacramentum ministret, sine tamen (6) illa solemnitate, quae est propria ministro Ecclesie, qui est ad hoc consecratus, talis necessitas excusat: quia tunc non baptizat ut minister sanctificatus; et, per consequens, non requiritur quod ipse sit sanctus interius, sicut nec sanctificatus exterius. Item, necessitas facit quod ipse non ex contemptu facit hoc, sed cum dolore, et invitus, timens quod plus peccaret si omittat; et sic nec exhibet irreverentiam sacramento, nec contemptum, sicut ille qui, nulla necessitate imminentे, sponte se ingerit. Qui etiam sacramenta ministrat solemniter, mentitur facto in eo quod est christianæ religionis, ostendens se sanctum in vestibus sacris, saltem stola, cum tamen sanctus non sit. Sed qui ut vetula baptizat, nullam sanctitatem ostentat; sed solum hic (7) est quod sacramentum pollutus tangit, sicut ille qui corpus dominicum cum (8) metu et timore, licet peccator, recolligit de luto. — Vel potest dici quod hic (2) est necessitas: quia de quolibet peccato mortali debet homo in speciali conteri; et ideo magnus peccator, si deberet dolere de singulis, antequam de singulis doluisse, contingere parvulum baptizandum quandoque sine baptismo mori; et si tunc, dolore cordis contritus in generali, currat et ipsum baptizet (5),

cum proposito consistendi et conterendi in speciali postea, melius facit. Et ideo posset inveniri via media talis, de illo qui est in necessitate, et sine solemnitate baptizat. Quia aut actu recolit de peccato, nec attleritur, nec conteritur de peccato, sed vult in peccato remanere, et nihilominus vult baptizare; et tunc, si est talis qui scire debeat quod hujusmodi a peccatoribus contingi non debent, quamvis non ex libidine vel contemptu baptizet, sed intuitu necessitatis hoc faciat, non excusatur ab irreverentia et contemptu; quia sic conscientia ei dicebat, vel dicere debebat: *Immunde, tu nunc sancta contractas.* Et sic est vera superior opinio; quia minister est, et necesse non habet cum peccato baptizare, licet necessario habeat baptizare. Si autem eum metu et tremore, et dolens de peccato in generali, licet propter hoc sciat se de peccato non mundari, sub spe tamen ad plenum conterendi, vel quia est excommunicatus et non potest absolviri, vel propter aliquid hujusmodi, hoc facit, tunc excusatur, argumento illorum qui immundi manducaverunt Pascha, quia non ita cito poterant purificari, pro quibus Ezechias oravit, et Deus cito remisit. Et sic est vera opinio Thomae. Sed qui solemniter baptizat, ex quo non est periculum in mora, prius debet se perfecta pœnitentia lavare, vel saltem, si sacerdotem non habet, debet se lavare per perfectam contritionem. Si autem non recoleret, non faceret irreverentiam sacramento; et sic excusatur. » — Hac Petrus, et bene, ad mentem sancti Thomæ; sicut potest patere ex prius recitatis, et similiter ex dictis ejus, vigesimaquarta distinctione hujus, q. 1, art. 3, q<sup>o</sup> 5.

Ad argumentum pro conclusione, patuit superioris solutio, in forma stepius (α).

Et haec de quæstione sufficient. De qua benedictus Deus. Amén.

## DISTINCTIO VII.

### QUESTIO I.

UTRUM BAPTISMUS, AUT CONFIRMATIO A FICTO SUSCEPTA, RECEDENTE FICtIONE, SORTIATUR SUUM EFFECTUM.

 Circa precedentes et septimam distinctiōnem, queritur: Utrum baptismus, aut confirmatio a ficto suscepta, recedente fictione, sortiatur suum effectum.

Et arguitur quod non. Quia opus mortuum, quod

(2) Cfr. presertim art. 3, § 1, 1, ad 1<sup>um</sup>.

(2) dicitur. — Ad. Pr.

(6) tamen. — Om. Pr.

(7) hic. — hoc Pr.

(8) cum. — Om. Pr.

(2) hic. — hoc Pr.

(5) currat et ipsum baptizet. — curat et ipsum baptizat Pr.